DE
EXPLORATIONE OBSTETRICIA MANUALI EXTERNA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS IURIBUS ET PRIVILEGIIS

IN LITERARUM UNIVERSITATE IENENSI

RITE OBTINENDIS

DIE XXII M. APRILIS A. MDCCCXLII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS THURM

ALTENBURGENSIS.

IENAE

TYPIS SCHLOTTERI.

VIRIS

PERILLUSTRIBUS EXCELLENTISSIMIS EXPERIENTISSIMIS

GUIL. CAR. FR. SUCCOW

MEDICINAE CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

ORDINIS DOMUS SAXO-ERNESTINAE EQUITI

SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AULICIS INTIMIS MEDICINAE PROFESSORI P. O. FACULTATIS MEDICAE ASSESSORI NOSOCOMII INSTITUTI CLINICI ET OBSTETRICII A MAGNO DUCE CONDITI DIRECTORI COMPLURIUMQUE SOCIETATUM SODALI

CAROLO GUIL. STARK

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

VIGILANTIAE S. FALCONIS ALBI ORDINIS EQUITI

SERENISSIMI MAGNI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS ET ISENACENSIS A CONSILIIS AULICIS INTIMIS ET ARCHIATRO ACTUALI MEDICINAE PROFESSORI P. O. FACULTATIS MEDICAE ASSESSORI NOSOCOMII INSTITUTI CLINICI ET OBSTETRICII A MAGNO DUCE CONDITI DIRECTORI PLURIUMQUE SOCIETATUM SODALI

ET

VIRO

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

EDUARDO MARTIN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

MEDICINAE PROFESSORI EXTRAORDINARIO INSTITUTI OBSTETRICII A MAGNO DUCE CONDITI DIRECTORI ALTERI ETC.

PRAECEPTORIBUS

DILECTISSIMIS

FAUTORIBUS

PIE COLENDIS

HAS PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

Lectori benevolo S.

Veluti ii, qui praecisis ancoris vela primum daturi atque in altum provecturi ardentissimas fundant preces, ut fluctibus placatis et sedatis cursum teneant secundum, idque praecipue in votis habeant, ne aestu mare effervescat atque intumescat, aut naviguum ventorum reflatu retineatur, aut scopulis illisum portu prohibeatur, ita ego quoque in simili inpraesentiarum conditione collocatus videor. Quum enim conscribendi dissertationem imposita mihi sit provincia (ardua mehercle et plena aleae res) ad navigii quasi gubernaculum sedens clavumque tenens solutis ancoris mare fervidum transiturus esse videor. Itaque mihi nautae provido omni animi contentione est cavendum, ne ventis adversis turbinibusque navigiolum meum ad inhospitas ac naufragas syrtes appulsum rimis fatiscat, at potius

summopere animitusque optandum, ut e vadis emersum remis concitatis in portum cogatur. Quodsi factum est, ut manus collidant et strepitum ciant lectores, est, quod etiam atque etiam eos rogatos velim, quum illum morem retinere voluerim, olim artem scenicam factitantibus fabula absoluta proprium de quibus perhibent, eos tragoediam aut comodiam quamlibet acclamatione ad auditores clausisse: nunc plaudite, nihil curantes, num essent explodendi sibilisqne conscindendi an summis plausibus excipiendi; Age dum plaudite.

De exploratione obstetricia manuali externa.

I. *Quaedam ad explorationis historiam spectantia.*

Explorationem obstetriciam, quam dicunt manualem, majorum jam memoria in aliquo numero atque honore fuisse habitam inter omnes constat; sed (quod doleas!) non eadem fuit omnium saeculorum cura, neque in id nullo tempore non studuerunt, ut omnibus partibus absoluta foret haec ars. Primas autem summo omnium consensu sibi vindicat *Hippocrates* in libro de natura muliebri conscripto, qui parem in hac re aequalium neminem habens posteros adeo longo intervallo post se relinquit, ita ut in aequilibrio pendere non videatur, num sequentibus saeculis ullus ei palmam praeripuerit. Idem enim pleno gradu eo tetendit mentemque eo contulit, ut hanc artem uberiorem perfectioremque redderet. At materiae licet aridae flammaeque concipiendae dudum aptae faces subdere neglexere medici post Hippocratem, cujus rei causam in eo habes, quod obstetricium nonnisi a mulieribus exercebatur, quo factum est, ut haec ars evilesceret atque

exaresceret. *Celsus* quoque, *Moschion*, *Paulus Aegineta*, alii in ea re cum aliqua versati sunt laude, paullulum hanc medicinae partem protrudentes, ita ut haec disciplina, quae proximis saeculis quasi oppressa ac sepulta densissima calligine jacuisset, nitorem quendam et splendorem reciperet. Etiam medici Arabum hanc rem primoribus tantum labris degustasse et a limine tantum salutasse videntur. *Ambrosius Paraeus* ipse, qui, quamquam parturientes manibus saepius tentavit, in universum explorationem ad artem non revocavit, externam prorsus omisit. Demum *Henricus van Deventer* et *Guilelmus Mauquest*, qui vulgo nominatur *de la Motte*, omnibus paene partibus doctrinae de exploratione obstetricia praecepta tribuit. At mirum, non in hac via expedita ac compendiaria processisse medicos, quid quod ab ea diverterint, explorationem externam ut levem et futilem contemnentes, ; quod de *Rousseto* narratur. Nostrorum hominum aetate de hac re insigniter meriti atque existimationem consecuti sunt *Baudelocqne*, *Stein*, alii. Nullo tamen explorationi externae studio antea adhibito, demum *Joannes Georgius Roederer* nova explorationi externae praecepta attribuit et digito quasi ostendit in Elementis artis obstetriciae, quam satius sit, hoc explorandi genere uti. Via plana ac patente perrexit *Wigand* et non solum rem describendo, verum etiam usu et exercitatione secundo successu adhibendo explorationi externae magnam dignitatem tribuit; etiam *Joerg* majorem in modum commendat, plura huic rei esse tribuenda et rerum cardinem respiciendum. In primis autem huic rei lucem affudit *Guilelmus Schmitt*, dum hanc doctrinam magis coluit, quia quanti eum existimabant,

tanti rem faciebant, quam ipse studio summo comprehenderat.

II. *Varia explorationis instituendae ratio.*

Si de explorationis obstetriciae generibus quaeris, varia esse scito, prouti varii sunt explorandi fines. Aliquando enim sensibus instituitur exploratio, manibus aliquando. Ubi oculis in explorando utamur, exploratio ocularis nominatur, ubi instrumentis visus aciei subveniamus idoneis, instrumentalis explorationis nomen usitatum est; quando auribus utamur, auricularis, quando tactu manualis dicitur. Exploratio autem manualis denuo dividitur in explorationem digitalem, si exploramus digito uno vel duobus, aut in explorationem manualem stricte sic dictam, si tota manu, excepto pollice, tentando utimur.

Prout partes externae vel internae explorantur, exploratio nominatur externa vel interna.

Aliam dividendi rationem hic habeas: exploratio vocatur partialis, si singulae non nisi partes explorantur; huic explorationi partiali varia iterum sunt nomina, prout haec vel illa pars exploratur, quod, quo clarius dilucidiusque fiat, exempla afferam: exploratio vocatur vaginalis, si vagina exploratur, uterina, si uterus etc.

Si vero exploratio instituitur ex certo ordine et ut certum finem consequaris, quo res plane cognoscatur, exempli gratia, si exploratio manualis extrinsecus et intrinsecus, exploratio per auscultationem et per oculos instituitur, ut de graviditate certi simus, explo-

ratio nominatur completa, si vero una explorationis pars instituitur, ut graviditas cognoscatur, exempli gratia, si exploratio auscultando sufficit, pulsu fetali audito, explorationem incompletam nuncupant. Si vero plures explorandi vias ingredimur, exploratio est mixta.

Denique id respiciendum est, qualis sit tam exploratoris, quam explorandae mulieris habitus atque positio, nempe mulieri explorandae in tergo aut latere jacere licet aut sedere aut in genibus aut in cubito inniti; explorator autem genibus incumbit aut in humili sella sedet, muliere sedente aut stante, vel explorator stat pronus, muliere jacente aut in genibus et cubito innisa.

Quum res ita se habeat, quanta potero brevitate ac compendio praesentem de exploratione obstetricia manuali externa materiam, non pro rei dignitate, sed ingenii facultate tractare conabor. De industria autem certoque judicio, quae ad medicinam forensem pertinent et ad illam, quam internam dicunt, agere nolui, sed de exploratione manuali externa, quae ad artem obstetriciam pertinet, quaestionem ventilandam in animum induxi.

III. *Quomodo instituenda sit exploratio.*

Sed ne diutius, uti est in proverbiis extra oleas vagari videar, de ratione primum, qua institui debeat exploratio obstetricia manualis externa agendum est, ut et gravidae et fedus conditio, qualis sit, cognoscatur. Ea autem, ut paucis absolvam verbis, ita fit, ut mulier gravida sive stet, sive jaceat, sive assideat

exploratore vel sedente vel stante vel genibus incumbente.

Ratio mulierem subsidentem explorandi non de meliore est nota, quum exploratori assidenti in subsellio crura gravidae flexa sint impedimento, quin ad artis regulas munus exercere et quod saepius requiritur, regionem inguinalem tangere ei liceat. Eo unice hic explorandi modus commendatur, quod abdominis integumenta paululum relaxata faciliorem tactum admittant. In altera explorandi ratione mulier ad parietem aut ad mensam etc. reclinata est, aut excelsa erectaque stat, dum explorator ante eam in humili subsellio sessitat aut uni genu nititur. Explorator hanc positionem obtinens, brachio non explorante latus mulieris amplectitur, ut in eam partem vertere ac flectere possit gravidam, quam vel temporis vel rei ratio exigit. Cubitus explorantis brachii in genu collocatur, ne manus tam facile fatigetur. Sunt, qui credant, cubito in genu collocato non omnia subtactum manus cadere, qua quidem re adducti hoc explorandi genus repudiant. Ea, quae in usum recepta est, ratione, manus dextra in genu dextro ponitur, manus sinistra in genu sinistro alii vero, ut *Hohl*, suadent, ut manus dextra in genu sinistro ponatur et vice versa. Haec positio non multum ad hanc rem facere videtur, at exploratorem in hac positione aequilibrio excidere posse puto.

Tertia explorandi ratio est, qua femina supina jacens ab exploratore prono stante aut lecti margini insidente tentatur. Mulieri in lectis nimis plane et ac-

que stratis recumbenti non licet, deinde extremitatum inferiorum genua flectantur et ad truncum versus retrahantur necesse est, ut integumenta abdominalia relaxentur. Hanc positionem, ceteris paribus, optimam arbitror, quia integumenta abdominalia jacendo non modo relaxantur, sed etiam eo, quod uterus atque intestina paululum retro versa integumenta minus turgida reddunt.

Exploratio, quam in situ feminae laterali suscipimus, modo instituenda est, si latus uteri, regio lumbalis, regio perinaei etc. exploratur. Internam autem explorationem supervacaneam duco, quum mulier genibus cubitisque innititur, sin autem extrinsecus explorare velimus, hanc positionem repudiandam censeo, tum exploratori quam gravidae incommodam.

Exploratio externa aut tota manu institui potest, si, ut exemplum afferam, majorem minoremve calorem partium abdominalium cognosci oportet, aut extremis digitis, si profundius imprimendo partes fetales cognoscere volumus. In exploratione autem, gravida sedente vel stante, adhibita non incommode utimur altera modo manu, in exploratione autem in jacente femina, cum optimo successu utraque manu, quod etiam saepius requiritur, si forma et extensio uteri cognosci debet, aut si pars quaedam altera manu figatur necesse est, ut melius procedat exploratio.

Quum exploratio manualis verecundis potissimum feminis maxime ingrata esse soleat, cavendum est, ne tactu incauto dolorem excites, quo fieri potest, ut fe-

mina explorationem sibi odiosam magis abhorreat. Tactus vero obstetricius caute ac non inconsulte instituendus est, ne mulier titilletur. Prae omnibus id autem spectandum est, ne lascivia quadam exploratoris verecundia gravidae laedatur eaque pudore erubescat, qua de causa exploratio modestiae speciem nunquam non prae se ferre, omniaque salvo decore fieri debent; noli igitur detegere ac nudare mulierem.

Ut vero exploratio externa accurate effici possit et id cognoscatur, quod ad veram et rectam diagnosin pertineat, non idem est, quo tempore et quibus conditionibus exploratio externa instituatur. Non mediocrem curam medicus in eo figat necesse est, ut quantum in eo sit, volumen intestinorum comminuat, quo melius ac commodius partibus illis recedentibus, uterus procedat. Ad id consequendum exploratio externa praecipue tempore matutino instituenda est, antequam mulier cibum potumque assumsit, quibus abdomen turgescit. Ad hunc finem vesicam urinariam evacuari oportet, quia inflata et impleta explorationem aut vanam aut fallacem reddit. Dr. *Blundell* hanc viam explorationis instituendae ut tutissimam et fructuosissimam commendat, si incipiente graviditate amplitudinem uteri cognoscere vis, mulierem explorandam aliquot horas ante explorationem instituendam sufficientem aquae copiam bibere jubeas, ut vesica urinaria extendatur. Tunc aut natura ipsa instigante aut, quomodo melius fiat, cathetere vesicam urinariam ex lege artis evacues, quo quidem adminiculo regio circa pubem aliquantum collabitur.

Intestinorum intumescentia, quum explorationem vel non admittat vel difficiliorem reddat, tollenda est, quod

si fieri nequit (de qua re paulo infra quum de impedimentis agatur) alio tempore suscipienda erit exploratio externa.

Exploratione externa haec indaganda sunt: Crura inprimis sunt tentanda, ut tibi cognoscenti liceat, num varicosa sint, num gracilia ac macie tabida an carnosa. Tum exteriores genitalium partes explorare haud negligas, ut tentando teneas, num excreverint. Nec pelvim incuriose praetermittas, ne maximum hunc campum levissimo saltu transvoles. Tuum enim est, perscrutari, num bene atque ex regula formata sit nec ne. At negari nequit (quod quotidie obvium) exercitationem atque usum etiam in ea re omnium rerum optimum magistrum esse, quum qui parum nec uti par in his rebus sint versati, quasi hospites ac peregrini huc illuc vagentur. At hoc habeto duce assiduitate ac laboriose tractando manibus pelvi admotis forma ejus abnormis, diametri atque alia multa cognosci posse, ita ut procomperto paene atque explorato haberi liceat, hanc vel illam pelvis partem justo nimis esse vel angustam vel capacem. Huc accedit, quod instrumentis adhibitis omnis dubitatio removetur atque illustratur. Si de hac re agitur, prae primis diametri transversae pelvis minoris sunt definiendae, quod ut fiat manus femorum trochanteribus admotae distantiam ejus normalem inter 12″ et 13″ variantem invenient, quae quidem minor est, quum pelvis compressa atque intro coacta est, ita ut exitus in latitudinem sit diductus. Aliter itaque fieri non potest, quin diametri longitudinales modum excedant, quid quod saepius diameter tranversalis in hunc adeo

modum creverit, ut 13″ efficiat. Sin ex parte pelvis est incurvata, anguli, quos formant inter se trochanteres, profecto non iidem sunt.

Aliud nec minimum, quo pelvis forma cognosci possit, adminiculum, spinas anteriores superiores ossis ileum esse contendo, quarum distantiam simili modo manibus impositis inventam $8\frac{1}{2}$—10″ aestimatis. Nec maximam pelvis concavitatem, cujus distantiam habebis inter 9—11″, metiri omittas. — Attamen ossium innominatorum declinationis observatio circumspecte suscipienda est, quam tangendo optime institues, ita ut a crista ossis ileum incipiens paullatim ad trochanteres descendas vel internam ossium innominatorum superficiem digitis assequi studeas.

Rem non leviter ac frigide curandam diametri conjugatae habeo mensuram, quam inde definies, si altera manu in monte Veneris fixa, altera in processu vertebrae ultimae lumbaris spinoso collocata utriusque distantiam mente perpenderis. Sed non in eo acquiescas, quin imo ut proprias pelvis minoris diametros invenias, integumentorum exteriorum, symphyseos ossium pubis, columnae vertebralis una cum processibus spinosis interiorisque superficiei densitatem, quam 3″ computare solent, conferas cum diametro paulo ante inventa et ex ea detrahas. Exemplum in medium propositum rem liquide confirmare videtur. Sit verbi gratia diameter recta exterior 7″, invenies igitur detractis ex summa illis 3″ conjugatae 4″, quae quidem mensura vulgaris haberi solet. At saepius a veritate deducimur, quum haud raro tam carnis, quam ossium excrescentiae

in cavo pelvis luxuriantes rem non parum perturbent. Ex his prominentiis exordiens, pelvis dimensionem instituas, ejusdem autem forma ut omni ex parte appareat, ambabus manibus circumferentiam explores, quo tibi persuadeas, num ea, qua par, sit formatione. Postquam arcus pubis intervallum dimensus es, nec ramos ascendentes ossis ischii ab explorando excludas, ut simili modo num distent ex regula cognoscere possis. — Quod superest ossis coccygis mobilitas respicienda est, cujus ligamenta non raro indurant.

Quamvis haec tangendo assequi non cuivis in medio atque obvia sint posita, attamen non tam involuta et quasi inenodabilis res est, ut oleum et operam perdat, qui assequi eam conatur; dies enim multa affert et quum non mediocriter in hac re versatus eris, perdisces quomodo pelvis aut normalis, aut a naturali formatione recedens sit cognoscenda.

Deinde abdomini externe explorando te accingas, cujus extensionem, constitutionem atque integumenta externa observes, num laevia sint, num humida an sicca. — Majoris momenti exploratione instituta, mutationes umbilici sunt et varia uteri singulis mensibus positio. Graviditate incunte mutationes amimadverti non possunt; secundo mense lunari abdomen paululum planius fit, quia uterus delabitur paulisper; tertio mense fundus uteri auctus et dilatatus paulatim in aperturam pelvis superiorem removetur, omnis regio inguinalis plenior apparet hoc tempore. Vesica exonerata corporeque gracili fundus uteri, si mulier supina reclinata est, sentitur; quarto mense etiam altius supra

ossa pubis tollitur fundus uteri et tanquam globuli segmentum sentitur. Quinto mense fundus uteri inter symphysin ossium pubis et umbilicum integumenta abdominalia non parum extendit. Sexto mense fundus uteri ad umbilicum attollitur paululum procedentem. Septimo mense fundus duos vel tres digitos supra umbilicum erigitur et fossa umbilicalis magis magisque explanatur. Hoc mense etiam albae aut subfuscae plicae oriuntur, quae nonnisi cum vita evanescentes rugae gravidarum vocantur. Octavo mense frustra fossam umbilicalem, quam dicunt, quaereres, quum fundus uteri usque ad medium epigastrium seu scrobiculum cordis attollatur. Nono mense abdomen maximum circuitum habet, epigastrium utero expletum est, modo in sinistrum, modo in dextrum latus verso; umbilicus vesiculae instar prominet, musculi recti abdominales in linea alba dispelluntur. Decimo mense lunari abdomen demittitur, fundus uteri depellitur neque amplius scrobiculum cordis explet, sed inter umbilicum et scrobiculum est, cutis autem fundum obtegens laxatur et remittitur. Hypochondria utero retracto paululum recedunt; umbilicus formam coni induit. Sed non eadem earum est conditio, quae pluries jam prolem ediderunt; in his fundus uteri, quia integumenta abdominalia graviditate quaque et aetate procedente laxari solent, non amplius in hunc modum attollitur, praesertim ventre dependente, ubi umbilicus saepe non mutatur.

Non in postremis habenda est partium fetalium per integumenta abdominalia exploratio, quum ex ea cognosci possit, num vitiosus sit fetus situs, num sub-

veniendum gravidae, num uterus justo tempore ac modo contrahatur.

Tempus, quo primum partes fetales per integumenta abdominalia explorari possint, in mulieribus diversis diversum duco; cur non? eo maturius enim cognoscuntur, quo gracilior mulier est et quo laxiora integumenta abdominalia.

In universum hanc sententiam non spernendam censeo, qua contenditur, non prius partes fetales manibus explorantibus obvias esse, quam ipsa gravida fetum moventem sentiat. Ratio itaque suadet, ut gravida partui proxima externe exploretur si partes fetales certissime cognosci oporteat. In exploratione extrinsecus instituenda id respiciendum est, num axis fetus longitudinalis axi uteri longitudinali congruat. Ut deducamur ad hujus rei cognitionem, videndum, num in uteri fundo fetus partes adsint, num erectus sit in utero situs fetus, num abdomen gravidae per transversum valde extensum. Ut certo scire possis, num gravida fetum capite, aut natibus praeeuntibus in lucem editura sit, partes in fundo uteri sub tactum cadentes explorandae sunt. Clunibus praeeuntibus in fundo uteri rem duram, laevem ac rotundam invenies, globi segmento non absimilem. In ea subsistas, unde longius explorando progrediaris. At difficile est dictu, quamnam de quartis clunium positionibus habeas, quum amnii liquoris effluvio nondum facto fetus mobilis adhuc sit. Sufficiat tibi, scire, utrum tergum antrorsum, an retrorsum vergat, de qua re optime extremitatum superiorum situ edocemur, quum, si tactu animadvertuntur, documento sint, tergum retroversum

esse. Attamen symptoma hoc certissimum non habendum est, quum fieri possit, ut brachium circa cervicem, aut in tergum versum sit, quo facto facillime pectus et abdomen fetus, (si caput et brachium sentiuntur) antrorsus jacere putantur. Tunc vero exploratio interna et auscultatio errorem emendaturae sunt.

Fetus, capite in lucem prodituri, coxa et extremitates inferiores in fundo uteri animadvertuntur. Tum corpus subrotundum, pomi segmento non absimile, minus durum, omnibus ex partibus planum atque minoris circuitus, quam caput, in fundo uteri observatur. Ad haec alia corpuscula minore ambitu percipi solent, quae laxis abdominis integumentis magnaque gracilitate facilius discernuntur; subrotundum vero corpusculum, segmenti superioris nucis avellanae in modum ac gibbosum, calcem esse scias, unde corpus cylindraceum cognosces, quod accurata exploratione instituta crus fetus statuendum est; genu autem tactu explorare non est, quod possit effici parvo negotio levique labore, ac tum tantum veram diagnosin admittet, cum femora ac crura inflexa ac conjuncta sunt. Ad diversas vero partes cognoscendas, necesse est, ut femina gracilis, integumenta laxa neque turgida sint, exploratio horis matutinis instituatur, denique vesica urinaria exonerata sit. Attamen quae pluries partum edidit, certiorem admittet explorationem quam primipara.

Sed ne a vero deflectamus non faciam, ut dissimulem: duos tantum situs fetus cardinales tibi cognoscenti licere. Id minus respiciendum est, in quo-

nam uteri latere corpus fetus collocatum sit, at potius hoc, quamnam positionem singulae partes inter se habeant. Si clunes sinistro versus, extremitates autem inferiores dextroversum inveniuntur, primum situm cardinalem apellant, in quo quidem tergum fetus sinistrorsum positum est, tuber ossis parietalis dextri exploratione interne instituta percipitur; partu progresso pone foramen ovale fonticulus aut minor aut major invenitur; aut clunes dextroversum et extremitates inferiores sinistroversum inveniuntur, cui positioni secundi situs cardinalis nomen indidere, in qua tergum et occiput fetus in latere dextro plus minusve antrorsum aut retrorsum inveniuntur; exploratione interne instituta tuber ossis parietalis sinistri sentitur et partu progresso in fonticulum aut majorem aut minorem pone foramen ovale incides. Ut vero certo dignoscas, quonam modo fetus sit positus, explores per vaginam et auscultationem, in prima enim, quam vocant, posipositione, cordis fetalis percussum in latere sinistro, in secunda in dextro auditur.

Identidem, longitudinali fetus axi uteri axi longitudinali non congruente, fetus plus minusve transversam obtinuisse positionem vidimus, qua in re haud minimi momenti negotium esse contendo scire, num re vera vitiosus sit fetus situs, an naturali positioni accommodatus, quum nisi sublato illo vitio partus procedere nequeat. Quo melius hanc positionem a norma pervulgata aberrantem dignoscas, haec habeas: parturientis abdomen gibbosum et tuberosum est, in altero latere fetus caput, in altero clunes explorabis, fundus autem uteri non admodum attollitur. Exploratione per vagi-

nam instituta nullam manu partem attinges. Gravida de acerbissimis molestissimisque abdominis doloribus saepe conqueritur ac fetum modo huc, modo illuc prorupturum opinatur. Partu incepto orificium paulatim dilatatur, doloribus parturientem non parum excruciantibus, velamentis ovatis, liquore amnios multum effluente. Sed caveto, ne tempus inutiliter teras, quum in ea re hora nulla sine magno dispendio pereat; at peritus rei obstetriciae aucupabitur tempus auxilium ferendo commodissimum, ne versione aut perforatione ipsa uti sit coactus. Partu incipiente tempestive adsis (humoris effluvio nondum facto) cognitaque positione, ut naturam subleves aut parturientem commodissime cubando, aut versionem manibus externe admotis instituendo. Si de illa, quam primo loco posui, ratione quaeris, consentaneam arbitrari ausim, nisi fetus transversum in utero obtineat situm, aut in margine pelvis minoris sit collocatus, aut in interiore ossis innominati superficie. Tum parturientem in id latus cubes, ad quod fetus acclinat, quo quidem artificio haec fetus pars in pelvim minorem delabetur, quum superior inferiorem vectis ad instar deprimat. Axi fetus longitudinali transversae uteri coincidente, gravidam nonnisi cubando partus non procedat, sed versio manus externe admovendo instituenda est (humoris effluvio nondum facto, ne una cum fetu uterus, quem contrahendo cinxit, dislocetur). At quin saepius parturientem commode cubando manumque externe admovendo mirum in modum partus subleventur, in dubitationem vocari non debet. Tum partem inducas pelvi propiorem, quod ut fiat, altera vola externe admota partem fetalem deprimere studeas, altera in partem uteri fun-

do propiorem impressionem priori contrariam adhibeas atque axi longitudinali coincidentem facias.

Cum de parte fetus inducenda agitur, melius rationibus tuis consulueris, si caput induxeris, quae res profecto parturienti accommodatissima est. At clunibus pelvi propioribus non in discrimine quaestioneque versari videatur, num inducendae sint, quum partus natibus praeviis bene cedere soleant. Neque haec missa faciamus clunes fetus inductas non minus esse vehiculum, quam caput inductum, quin imo si versio manibus externe admotis non optatum finem sortita, interne instituenda sit, res ex animi sententia succedet eo, quod clunes in pelvis introitum promoveris. Nunc autem apud animum statui, exemplum affere, quo probatur explorationis externae praestantia, uti, tanquam testis oculatus ipse persuaderi in lechodochio Jenensi mihi contigit.

Gravida die Junii tertio in lechodochium recepta firma integraque corporis constitutione, flavis capillis, et breviore statura, procedente paulatim graviditate satis bene atque commode se habuerat. Fetum se moventem medio Martii mense primum senserat; in interiore dextri femoris parte varices fuerunt, fundus uteri in confinio umbilici tangendo explorari potuit, cor fetale palpitavit in dextro latere, pulsationes uterinae in sinistro auscultando ad aures permanavere, at neutiquam fetus pars cognosci potuit. Exploratione aliquo tempore interjecto suscepta, extremitates in utroque latere in superiorem uteri partem versae et caput in latere sinistro fuere; de parte fetus objacente nihil

constitit. Horis Julii 4. antemeridianis tarde lenteque humores effluxere, noctis interventu quum octava hora nondum praeterlapsa esset, orificio uteri dilatato globulus objacuit. Hora decima audita in sinistri inguinis regione caput impressione manu facta in pelvis introitum promotum est. In hoc ipso temporis articulo exploratione intrinsecus suscepta caput in pelvis introitu tentatum est. Orificium uteri in dextram partem inclinatum, durum tumidumque, uterus autem non admodum doloribus contractus fuit. Qua de causa Boracis aliquot doses praescriptae sunt; nihilominus autem uteri contractiones rariores factas fuisse, gravidamque deambulasse ac cibum potumque assumsisse, ita ut postridie tandem aliquando enisa fuerit, admiratione dignum videatur.

Saepius autem impedimenta improvisa et inopinata viam ad explorationem obstetriciam externam obstruunt atque concludunt, quin institutum tenere et in via ingressa persistere per breve aut longum tempus possis.

Non minimam explorando difficultatem objiciunt obesae nimiaque pinguedine diffluentes. Quum enim prae aliis abdomen pinguescere et in cellularum multarnm congerie sub cute immediate positarum deponi adeps soleat, paniculus adiposus ille non subtilem admittet tactum. Ne extensione abdominis variis in modis explorationem tardari et disturbari obliviscamur, quam quidem extensionem subinde vitae turgore fibraque solida procreatam esse scias. Nec ipsa abdominis integumenta hujus extensionis expertia sunt, inpri-

mis mulierum validarum ac robustarum, quae primum fetum sunt laturae. Saepe numero etiam a flatibus contentis fugax abdominis vel epigastrii intumescentia fit, quam meteorismum vocant. Oritur quoque interdum vel ab humoribus in abdomen exhalatis nec resorptis, vel putrescentibus aëremque veluti generantibus, tympanites aut alius tumor abdominis. Expanditur non raro abdomen aquosi humoris stagnatione (Hydrops ascites), quum in ejus cavo lympha effusa colligatur, quae quidem collectio saepius vel graviditas habetur vel cum graviditate genuina est complicata, id quod in hydrope incipiente tantum fieri potest, antequam vires exhaustae sunt. Hydatides, tumores atque hydropem vel unius vel utriusque ovarii graviditatis speciem crebro prae se tulisse, quis est, qui nesciat. Uti *Hohlio* placet, hydrometra impedimento est, quin ad artis regulas institui possit exploratio; et renis hypertrophia abdomen mirum in modum expandi, autor *Patras.* Retento adeo spiritu in tempus abdomen extenditur, qua de causa non ab illorum opinione abhorreo, qui explorationem instituentes cum muliere confabulandum esse ducunt. Etiam quum stans mulier tentatur in hunc modum extenduntur abdominis integumenta, ut partes fetales tactum effugiant. Simili modo quum uterus spasmo contrahitur (quod non raro in explorando sponte fieri solet), exploratio est obscura; nihil aliud enim sentitur, nisi globulus rotundus. Quum aut placenta anteriori uteri parti adnata est, aut uterum inter et abdominis integumenta omentum intercedit (quae quidem partes fetales referunt), aut integumentorum ipsorum oedemate, aut uteri substantiae densitate crassitieque laborat gravida (quam in mulieri-

bus robustis nec multo liquore amnios praeditis invenies) aut quum pro fetus parte uberior est ille liquor, explorationem susceptam non e re tua futuram arbitror. Explorationem externam praepediunt denique gemelli in utero, (quorum major partium numerus manum tentantem a vero abducet) et fetus in utero, vel tuba vel ovario in massam tophaceam seu lapideam quasi exsiccatus (Lithopaedion.)

Quamvis autem via ad hanc rem non mollis sit ac plana, tamen neutiquam obstructa interseptaque est, evellandae potius sunt spinae, perfringendaque repagula, quum non solum diagnosis obstetricia illa re enodetur, verum etiam non raro ea unice cognosci possit, num revera graviditas, aut gemelli adsint, an de graviditate extrauterina cogitandum.

Praecipue autem externam explorationem obstetricibus curae cordique esse debere (quantum quidem assequi judicio possum) arbitror. Facta enim comparatione, a qualibet non tardissima et inertissima obstetrice ista percipi potest, quum etiam in rebus anatomicis ac physiologicis minus versatae ad aliquam mediocritatem pervenire possint. Neque hoc omittendum, minore labore institui posse hoc explorandi genus, quid quod caliginem ac tenebras, veritati, institutis aliis explorandi generibus, offusas, saepius discutiat, quum tentanda facilius dignosci et alia aliis illustrari liceant. Quod quidem in causa est, cur non raro, quum exploratione interne suscepta non certam assumseris sententiam, externe instituenda pro certo ac comperto

saepe habere possis, qualis res sese habeat. Quoties rei obstetriciae peritissimi clunes pro facie habuerunt! de qua quidem re exploratione externe suscepta edocti fuissent. Ex his, quae monuimus, apparent, obstetricem ad hanc rem multum ſtudii ac laboris conferre debere, quum saepenumero de valetudine vitaque servanda agatur. Ut non longe abierimus, exemplum in medium afferamus: Si obstetrix situm fetus obliquum dignoverit, versionem aliaque discrimina dexteritate ac celeritate praevertet et amovebit manibus externe admotis. Ut denique scribendi vela contraham, id tantum apponam, externe tentando obstetrici scire licere (exempli gratia in perpetuo uteri spasmo) num medicus sit accersendus.

THESES.

I.

Dormiendo apud senes infantum mortem accelerari contendo.

II.

Lac infantum vinum esse, vinum lac senum.

III.

Remedium anceps praestat nullo.

IV.

Sprengelium Druidas praestigatores habentem in maximo errore versari.

V.

Ebrietatem velut generis humani pestem esse detestabilem.